

## Tractatus

743

**A**d secundum est dicendum secundum aliquos quod pro-  
positiones exceptive sunt virtualiter hypoteti-  
ce. et tunc manifestum est quod non valet processus  
Alii dicunt melius secundum intentionem Petri hys-  
panti in tractatu sine categorizatum quod pro-  
positiones exceptive sunt categorice et minor  
non est pure affirmativa immo quodammodo ne-  
gativa in quantum una eius exponens est negati-  
va. Vel potest dici quod male ibi concluditur. quia  
illa determinatio preter sortem que ponitur in  
minore non debet poni in conclusione. et ratio  
est. quia non est absoluta determinatio eius quod  
est subiectum. sed est determinatio respectiva sub-  
iecti in quantum est subiectum in comparatione  
ad predicatum. et ergo si ipsa ponatur ad medi-  
um in maiore non est iteranda in minore. et si po-  
natur in minore ad maiorem extremitatem non  
est iteranda in conclusione. et sic male conclu-  
ditur. sed debet sic concludi. nullum currens est  
asinus. omnis homo preter sortem est currens  
ergo nullus homo est asinus. Alii dicunt quod  
in syllogizando dictio exceptiva debet mutari in  
hoc nomen aliud. et tunc debet sic concludi. nul-  
lum currens est asinus. omnis homo preter sor-  
tem est currens. ergo nullus homo alius a sor-  
te est currens. Ad tertium dicendum quod non est  
syllogismus in celarent. quia plus distribuitur  
in conclusione a parte subiecti quam in maiore. nam  
in minore distribuitur solum ille generis homi-  
nis et in conclusione distribuitur hoc totum ho-  
minis oculus. et sic arguitur a non distributo  
ad distributum. Et hoc patet. quia signum uni-  
versale affirmativum in obliquo positum distri-  
buit solum terminum eorum ut patet in obliquo po-  
situm. sed signum universale negativum distri-  
buit ratione negationis totum quod sequitur  
Dicendum quod syllogismus predictus non est in ce-  
larent. sed in ferio. quia sub subiecto distribu-  
to in maiore subsumitur in minore illud sub-  
iectum oculus non distributum. sed particula-  
riter acceptum. ergo conclusio erit particularis  
negativa quantum ad illud subiectum oculus. et  
propter hoc non debet concludi. ergo nullus ho-  
minis oculus est sinister. sed sic debet concludi.  
ergo cuiuslibet hominis oculus non est sinister  
Ad quartum est dicendum licet minor sit com-  
possibilis maior ut compossibile sit idem quod si-  
mul possibile. non tamen est sibi compossibi-  
lis. ut compossibile idem est quod simul cum alio  
potens esse verum. Quod sic patet. quia maior est  
propositio negativa et per consequens minor pu-  
ta hec omnis propositio est affirmativa non po-

test simul esse vera cum dicta maiore. Et id stat  
tene duas esse propositiones quarum una est ne-  
cessaria. et altera possibilis quas tamen impos-  
sibile est simul esse veras et supposito quod maior  
et minor possunt simul esse vere oporteret con-  
clusionem capi ut non haberet reflectiones supra  
seipam id est ut non esset insolubilis. et sic ipsa  
potest esse vera. Et si dicatur hic premissa sunt  
expresse compossibiles et non sequitur in cela-  
rent sic arguendo. nulla conclusio est vera. om-  
nis conclusio de celarent est conclusio. ergo nul-  
la conclusio de celarent est vera premissa pos-  
sunt esse vere in casu possibili. et tamen conclu-  
sio est impossibilis. quia falsificat seipam. So-  
lurio premissis concessis distinguenda est con-  
clusio. Quia subiectum conclusionis distribuitur  
pro omnibus aliis conclusionibus a se. et sic po-  
test esse vera in casu quo premissa possunt esse  
vere puta si sole iste essent conclusiones. nulli-  
us homo est animal. nullus asinus est substan-  
tia. nullus canis est latrabilis. Aut subiectum  
conclusionis distribuitur pro ipsa conclusione.  
cuius ipsa est subiectum. et sic est una insolubi-  
lis falsificans seipam et est virtualiter hypote-  
tica. sicut ergo ex hypoteticis non fit syllogismus  
categoricus. ita ex categoricis non potest in-  
ferri conclusio hypotetica. Ad quintum est  
dicendum quod male concluditur. quia in mino-  
re ille terminus homo stat pro homine qui est  
sed in conclusione stat pro homine qui fuit. ra-  
tione illius participii mortui quod est preteriti tempo-  
ris. sed inferri debet ista conclusio. ergo nullus ho-  
mo qui est. est mortuus. Ad sextum est dice-  
ndum quod non bene arguitur. quia plus predica-  
tur in minore quam distribuitur in maiore. quia  
in minore predicatur hoc totum est valens mau-  
rum et in maiori solum distribuitur ille termi-  
nus maurus. et ita male subsumitur. sed sic de-  
bet subsumi nullus maurus valet solidum.  
omnis florenus est maurus. ergo nullus flore-  
nus valet solidum. et sic discursus est bonus sed  
minor est falsa

**V**arij tercius modus constat ex ma-  
iore universali affirmativa. et minore  
particulari negativa particularem af-  
firmativam directe concludentibus.  
ut omne animal est substantia. quidam homo  
est substantia.

**A**d dic Petrus hispanus assignat terciū mo-  
c iij